



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm SS. Et Gloriosorum Christi martyrum Sergij & Bacchi. Ex eo
quod est per Metaphrasten.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

ad beati viri sepulchrum. Fontes etenim miraculose ebullientes, non semper perpetui sunt: sed interdum propter hominum demerita, eiusmodi Dei beneficia subtrahuntur.

Ad eius verò sepulchrum huiusmodi Epitaphium appositum est.

*Primus in hac, Christi fundator ouilis, eremo,
Promerui fieri: qui tegor hoc lapide.*

*Bruno mihi nomen: genitrix Germania: meq;
Transtulit ad Calabros, grata quies nemoris.*

*Doctor eram: prece Christi: vir notus in orbe.
Desuper illud erat: gratia: non meritum.*

*Carnis vincla dies Octobris sexta resoluit:
Ossa manent tumulo: spiritus astra petit.*

MARTYRIVM SS. ET GLORIOSORUM Christi martyrum *Sergij & Bacchi*. Ex eo quod est per *Metaphrasten*.

TEMPORE Maximiani tyranni, cum vniuersus ferè orbis terræ profundis ignorantia tenebris immerfus nefario idolorum cultu insaniret, *Sergius & Bacchus*, ambo Romani, pietatis fideique in Christum operibus tanquam stellæ lucidissimæ, in regia fulgebant. Neque enim plebei erant, aut obscuro: sed *Sergius* scholæ Centiliorum primicerius, *Bacchus* secundicerius multum apud Maximianum Imperatorem & gratia & auctoritate pollebant. Sed à terrena cupiditate longè alieni, celestibus perpetuò rebus intenti, cum diuinis sedulo scripturas voluerent, clarissimisque virtutum exercitijs sceleratorum quorundam

*Epitaphium
B. Brunonis.*

7. Octob.

*Patria SS.
Sergij &
Bacchi.*

*Accusantur
ab amulio.*

dam animos, ut sit, ad inuidiam prouocarent: fuere ad Imperatorem delati, quod neglecto deorum cultu, ad Christianam religionem declinarent.

*Recusant in-
gredi fanum
idolorum.*

Ea accusatione stimulatus Imperator, statuit rei veritatem splendido quodam & magnifico sacrificio (sæpè enim solam inuidiam calumniæ fomitem subministrare non ignorabat) experiri. Itaque fanum cum multa multitudine ingressus, suo cunctos exemplo ad sacrificandum inuitabat: obseruatis interim Sergio & Baccho, num pari impietate prompti paratiq; sese contaminarent. At illi viri generosissimi non modò sacrificium, sed & templi adyta execrati, foris Christi numini vota nuncupabant: precibus lachrymisq; impijs idolorum cultoribus cæleste lumen veramq; à Deo fidem postulantes.

*Sistuntur
Imperatori.*

Porro Maximianus solos illos absentes cõspiciens: veram esse accusationem ilicò intellexit. Vndè consueta animi sæuitia feritateq; exardescens: Quid, inquit ad satellites, cunctamini? Ducantur execrandi, cum iussu terribili. Nihil à ministris cunctatum est: sed protinùs adducti martyres, Imperatori sublato supercilio torueq; eos intuenti oblati sunt. Qui ut se manifestos euasisse cognouerunt, rati oblatam fidei & pietatis profitendæ occasionem nequaquam negligendam esse, magna dicendi libertate Christi potentiam ac diuinitatem extulerunt: inania verò simulachra verbis, quibuscunq; potuero, depresserunt. Ceterùm Imperatorem, honore quo par erat afficientes, ita compellabāt: Nos, ó Imperator, hoc solùm tibi debe-

*Præclarè re-
spõdenti Im-
peratori.*

debemus, vt in hac terrena militia grato tibi animo inferuiamus: & munus, quod vtriq; mandatum fuit, promptè fideliterq; impleamus. Surdis verò & inanimis dijs, in summi illius Dei & vniuersorum Domini iniuriam sacrificare, neque iustum est, neq; vllis vel minis vel supplicijs adduci possumus: vt tanto nos scelere obstringamus. Pietate enim cum nihil sit fortius, tum pro ea pati nihil beatius.

His ad iram furoremq; vehementius motus Maximianus, iubet statim magistratus spoliatos insignibus, muliebribus indui vestibus, colloque ferreis iniectis vinculis per mediam ciuitatem ad regiam duci. Postquam eò, non sine multorum in via contumelijs, peruentum est, Imperator quanquam puniendæ eorum constantiæ cupiditate arderet; cum tamen ad eorù splendorem respiceret, verebatur talium virorum facere iacturam. Itaque habito cum suis consilio eos ad Antiochum, Orientis Ducem, transmisit: tum vt longi & laboriosi itineris molestia & ignominia, eorum frangeretur constantia; tum quòd sperabat Antiochum, crudelitate sua & industria, qua in puniendis Christianis valebat plurimum, haud dubia de illis victoria potiturum. At sancti in ipso itinere cælesti visione mirabiliter confirmati, & molestias cunctas inuicto animo deuorabât, & vultu læto alacrique eum ingenti omnium admiratione, truculentum Antiochi conspectum sustinebant. Fuerat is Antiochus summum illum honoris gradum Sergij intercessione & gratia consecutus: vnde satis admirari non poterat, ad tantam eos animi procellisse magnitudinẽ,

vt &

*Afficiuntur
ignominia.*

*Antiochus
Dux crudelis-
simus.*

vt & supplicia, & minas, & gloriam, & Imperatorem, & ipsam deniq; mortem despicerent. Primò igitur in tutam eos custodiã recipi iussit: varia interim cum animo suo agitans consilia, vt à fidei Christianæ professione eos reuocaret, & sibi suisque maiorem apud Imperatorem eo facto gloriam compararet.

Summo igitur manè sanctos precibus sedulo intentos, Dux blanditijs minisque egregiè instructus, ad tribunal suũ adesse præcepit. Ibi vafra primum & callida oratione verbisque magnificis accepta ab eis beneficia replicare, & quasi incredibili animi dolore affectus, casum eorum deplorare: deindè ni mandatis Imperatoris obedirent; minas intentare; & nomina tormentorum eis enumerare. At illi nihil fraudulentis illis emolliti blanditijs neque minis deiectione tale fere Iudici responsum dedere. Qui Christum, ô Index, & quæ apud ipsum vitam absconsa est, diligunt, ijs præsentia curæ nõ sunt: non honor, non gloria, nõ potentia: nec aliquid deniq; eorũ, quæ homini in hac vita grata vel ingrata accidere possũt. Nos enim blanditias tuas æquè vt minas contemnimus. Cessa igitur eiusmodi antiqui serpentis insidias nostris ingerere auribus, quas tota mente auersamur.

Dux cernēs eos tanta libertate & animi magnitudine præditos, omiſſis verborum lenocinijs periculum, per tormenta, facere cõstituit. Igitur Sergio in custodiam recepto, Bacchum fortiter à quatuor extensum, bouum neruis cædi crudeliter iussit. Et quidem sanctissimi martyris corpus flagellis foedè concisum fuit, frustis

*Mittuntur in
custodiam
Sancti.*

*Antiochus
suis blandi-
tiji & minis
conatur eos
seducere.*

*Martyrum
memorable
responsum.*

*Adhibet tor-
menta Dux.*

frustis carniū hinc indè per aërem dispersis, sanguinisque riuis in terram manantibus: sed mens in supplicijs inuicta, præclarum, omniū in conspectu, triumphum agere videbatur. Lictores fessi, humi accumbebāt; cum Martyr ad caelestia gaudia vocatus animā in manus Creatoris deposuit. Corpus fuit iussu Tyranni feris obiectum; quæ tantum abest, vt in illud sæuissent, vt etiam Christianos illud ad sepulchrum deferentes, tanquam satellitum munere fungentes, comitarentur.

*S. Bacchus
in supplicijs
trahit ani-
mam.*

Sergius autem cum interim ingenti propter separationem affligeretur molestia, tum rursus propter expectationem læticia exultabat: cum ecce diuinus Bacchus, cōsueti habitu militari, noctu ei apparens, omnem discutit tristitiam animique ægritudinem: & firmiorem fortioremque ad subeunda pro Christo supplicia reddit. Die autem sequenti Dux fallaci rursus beneuolentia instructus adfuit; modisque omnibus athletam Christi ad deorum sacrificia inuitauit. Sed cum eum & blanditijs & minis superiorem longè conspiceret, in furorem cōuersus, iussit Martyrē crepidis ferreis, clauis vndiq; cōfixis indui: indutumq; è ciuitate Rosaphorū ad Tetrapyrgiam 70. stadia antè se currere. Fuit hoc crudele profecto & acerbū supplicium; sed martyris constantia aded cunctis inuicta apparebat, vt satis superque mirari nō possent. Post quàm autem Tetrapyrgiam venisset, ilicò datus est in custodiam, omni solatio destitutus humano, quò facilius se supplicem, quemadmodum Dux sperabat, exhiberet. Sed Martyr Christo suo supplex factus,
media

*Apparet S.
Bacchus Ser-
gio.*

*Crudele sup-
plicium in
Sergium.*

*Anoelus ei
apparet &
sanat eius
vulnera.*

media nocte Angelica visitatione non modò recreatus confirmatusque, sed & integræ sanitati restitutus.

*Dux eius cu-
rationem as-
seribit ma-
gis.*

Manè verò Dux martyrem è custodia ad tribunal deferri imperavit. Neque enim fieri posse credebat, ut pedibus consisteret. Cùm verò alacritate incredibili eum venientem conspiceret, stupore propemodùm oppressus: Quid est, inquit, quod tantos illi animos addit? Magia profectò: quæ ei priùs & apud Imperatorem tantam præbuit fiduciam, & hunc statim sopijt, ac resque vulnerum obrudit dolores. Ex hinc igitur omni spe victoriæ de Sergio abiecta, sermonem cum martyre familiariter instituere, & ad priorem assentationem redire: si fortè eum sic allicere possit. Sed cùm Christi martyr certaminum audius ad coronam æternam aspiraret, non potuit non omnia sua responsa ad Christam eiusque regnum dirigere, vanaque Antiochi solatia deridere. Ille itaque adhuc magis desperans, sanctum denuò transmittit in carcerem: dans interim operam menfarum lautitijs & lætitijs.

*Rursus ei
blanditur
vi fallat.*

*Damnatu-
r capitis.*

Cùm autem tempus instaret, quo ad Rosaphorum præsidium euocabatur, athletam rursus prioribus calceatum crepidis, à Tetrapyrgia ad Rosapha vsque sequi iussit. Eo itinere, pari, ut priùs, alacritate confectò, Dux Antiochus omnes suos conatus irritos cadere cernens, capitis eum sententia damnavit: quant vir sanctus multis victorijs inclytus, post breuem pro se & suis persecutorib: fusam ad Dominum orationē, ingenti vtriusque sexus spectante multitudine, alacriter excepit. Ex ijs autem

Truncatur.

autem

autem nonnulli, qui ad spectaculum conuen-
rāt, viri religione & pietate ornati, sacras eius
reliquias apud ipsum locum martyrij honori-
ficē ac magnificē condiderunt. *Sepelitur.*

Post longum verò temporis interuallū, qui-
dampietate feruentiores à Surorū præsidio, ad
surripiendas martyris reliquias venerūt. Cum-
que tumulo appropinquantes iam iam se voti
compotes sperarent, repentē ingens flamma
furti index prorupit: qua ciues Rosaphorum
excitati, rati adesse hostē, ad arma concurrunt:
Surenosq; pios fures inopinato offendūt. Pro-
hibent itaq; ne communem thesaurum propri-
um faciant: Rosaphorumq; ciuitatem præsidio
martyris nudent. Surani autem ne frustra eo
contendisse viderentur, paruū quoddam tem-
plum in loco sepulchri condiderunt: eoq; mu-
nere animum pietatis & religionis ergā mar-
tyrem plenissimum ostenderunt. Paulatim ve-
rò pietate in Saluatorem & Dominum Christū
Iesum augmentum capiente, antistites nume-
ro 15. Rosaphorum ciuitatem ingressi egregio
opere templum sanctis extruxerunt: eorumq;
reliquias in eo cū summo honore ac reueren-
tia deposuere. Cæterum quàm præclaris dein-
dè coruscarint miraculis, testis est a Euagrius
Ecclesiasticæ Historiæ scriptor eximius: testis
item b Nicephorus Callistus, qui in signe de
puero Iudæo refert miraculum: testis postre-
mò c Iustinianus Imperator: qui cū Con-
stantinopoli, tūm Ptolemaide egre-
gias s. Sergio Martyri erexit
basilicas.

*En Surenorum seruo-
rem pium.*

*Translatio
reliquiarum
SS. Marty-
rum in in-
si-
gne templū
illis erectū.*

*a Lib. 4. cap.
27. & lib. 6.
cap 20.
b Lib. 15.
ca. 23.
c Procop. lib.
1. c. 5.*